MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA LIPSIENSI
CONSENSV
DE QVAESTIONE


BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VTRVM OB DEFICIENTEM PARENTVM CONSENSVM, AVT OB TACITAM VXORIS REMISSIONEM, BIGAMVS MITIORI POENA ADFICIENDVS SIT?

SVB MODERAMINE

DN. ABRAHAMI KAESTNERI
IVRIVM DOCTORIS ET PRACTICI

IN
AVDITORIO ICTORVM PETRINO

DISPVTABIT
HENRICVS GOTTLIEB SIEGEL, LIPS.
N. P. C.

ANNO CIↃ IↃCC XXXIX. DIE XI. FEBRVARII.

LIPSIAE,
TYPIS GABRIELIS TROGII.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO
MAGNIFICO, EXCELLENTISSIMO
PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO
ATQVE
CONSVLTISSIMO
DOMINO
DOMINO
IOANNI AVGVSTO
HOELTZL A STERNSTEIN
POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS
ET
SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
CONSILIARIO AVLICO ET IVSTITIAE
SACRI PALATII LATERANENSIS COMITI
CIVITATIS LIPSIENSIS
PROCONSVLI LONGE MERITISSIMO
ECCLESIAE AD D. NICOL.
EIVSDEMQVE SCHOLAE
ANTISTITI VIGILANTISSIMO

Digitized by Google



OFfero TIBI VIR EXCELLENTISSIME academicae industriae ſpecimen, quod nullum niſi obſeruantiae ac venerationis ſummae in TE meae fundamentum habet, quodque TVA erga omnes comitas et beneuolentia excuſant. Ea humanitas et ſingularis fauor, quo me huc vſque benigniſſime proſequi non dedi-

Digitized by Google

dedignatus es, hos quoque TE, *Patrone ſumme deuenerande*, conatus meos in bonam conſulturum eſſe partem fidem fecerunt. Quare ſupplex ad TE accedo, *Vir excellentisſime*, et oro, rogoque, in ſinum beneuolentiae Tuae, quicquid hic eſt cogitationum mearum, recipias. Si illud precibus meis dederis humillimis, neſcio ſane, quo officii genere id demereri poſſim, cum iam ad omnia humillima quaeque ſeruitia multis obſtrictus ſim nominibus. Vnicum mihi ſuper eſt, cum grates dignas referre non poſſim, faciam tamen, quod grati eſt animi, laudibus enim quoad in viuis ſum, hanc mecum benignitatem non recolam ſolum, ſed et quantum posſum gloriabor. Ceterum Deum Ter Optimum Maximum veneror vt TE

Vir

Vir Excellentisſime in conſeruationem noſtrae Reipublicae, in emolumentum omnium literarum literatorumque, et in clientelam ſubmiſisſimorum clientum, quo me primo loco ponere non dubito, ad Neſtoreos annos vſque conſeruet. Id eſt, de quo omnem in diem occupatus eſt.

Excellentiſſimo Nomini
Tuo

Deuotiſſimus

HENRICVS GOTTLIEB SIEGEL.



§. I.



Bigamia dicitur crimen *quo quis coniuge superstite, coniugem sibi ritibus consuetis et coniunctione carnis adsociat.* Tria igitur hic coniunctim requiruntur, 1) vt coniugatus sit, qui alteram ducit, 2) vt scienter altera superinducatur, 3) vt matrimonium consummatum sit per ἱερολογίαν, (a) addunt quidam 4) consummationem per copulam carnalem, tanquam formale requisitum (b) v. **Preußn. Land-R.** *Lib. VI. fol. 146. §. 2.*

(a) Notandum autem hoc loco, quod ad pœnam bigamo infligendam, (*de. qua §. 6. tractatur*) non praecise requiratur, vt matrimonium per copulam sacerdotalem consummatum sit; sed illi etiam, qui coniuge viuente, cum alia contrahit sponsalia de praesenti, cum eaque concumbit, etiamsi ἱερολογία non accesserit, pœna capitalis dictetur, *per P. IV. C. El. 20.* quem in modum etiam respondit *Fac. Iur. Wittcberg. Mens.*

 Nou.

Nou. 1708. *v. de* BERGER *Oecon. iur. edit. nou. p.* 825.' *et El. Iurispr. crim. p.* 140. CARPZ. *ad d. C. def.* 2. *conf* §. 7.

(b) Hoc requisitum omnino ad bigamiae crimen formale dicendum, vti adparet ex *Ordin. crim. art.* 121. verbis: und vollbringet. et ex *P. IV. const.* 20. §. da aber das Beyschlaffen.

§. II.

Diuidunt hanc in *Polyandrian* et *Polygynian*. Polyandria *seu* Polygamia muliebris legi naturali manifeste repugnat (c) vt recte statuit PVFEND. *de O. H. et C. L. II. c.* 2. §. 5. quae sententia ab ipso rationibus corroboratur in *I. N. et G. lib. VI. c.* 1. §. 15. et ab aliis quoque adprobatur, *v.* TITIVS *Obseruat. Pufend.* 485. *n.* 3. nec hic possumus consentire cum THOMAS. in Grund-L. des N. u. V. R. *L. III. c.* 2. §. 14. vbi scribit: *si ius naturale iuxta solas iustitiae regulas consideres, hic generandi modus* (de Polyandria loquitur) *non adeo erit improbandus, quamuis ille cum regulis honesti et decori non conueniat*; lex enim naturalis hic ex meris regulis iustitiae et sobolis procreatione non tantum aestimari poterit.

(c) Multae quidem, cur polyandria non sit permittenda adduci solent rationes, duae vero inter illas videntur potiores, quibus rem extra omne dubium poni posse credo. *Primae rationis* robur in eo est, quia mulier imperio mariti subiicitur, et I. N. hypothetico quoque constitutum est, vt mariti a natura magis animi dotibus instructi, dominentur, mulieres autem pareant. Quomodo autem vna mulier plurium maritorum dicto, vno tempore obediens esse potest? Adduco in euidentiorem probationem verba ipsius Seruatoris: *Nemo duobus seruire potest dominis, aut vni adhaerebit, aut alterum deseret.* Secundum argumentum ita animo tibi concipe: Cum finis

prima-

primarius matrimonii I. N. sit procreatio sobolis, eiusdemque educatio ac conseruatio, sequitur hos omnes fines, polyandria permissa, corruere, simulque per illam omnem naturae ordinem euerti. Experientia enim edocemur, plurium feminum commixtione procreationem hominum impediri, quid quod penitus tolli; quorum omnium exemplo meretrices esse possunt. Educationem autem ac conseruationem liberorum non incertitudo patris tantum, sed etiam mirabilis tunc necessario eueniens parentum dissensus impediret; quippe liberi ab vno parentum virtutes, ab alio vitia assumturi essent, quod et de alimentis dicendum. Si enim pater incertus esset, multae orirentur lites, a quo alimenta accipere, et cui post mortem succedere deberent. Imo, cui parentalem respectum praestent liberi, non constaret. Quid multa? Omnis naturae, vt iam dictum est, ordo, deuastaretur. Hae sunt ex multis rationibus, illae, quae prae reliquis, viris doctissimis, diu se probarunt.

§. III.

Sicuti autem Polyandria paucos habet defensores, sic e contrario Polygynia multos inuenit amatores; Exemplum huius insigne in *Hollandorum* Annalibus reperitur, de *Henrico Cannemakero*, *Goricomiensi*, hic enim multas viduas atque virgines clam sibi copulabat, singulisque eam legem dicebat, *ne conuentionem de matrimonio intra annum euulgarent;* qui denique detecta hac improbitate, ab *Ottone de Arckel*, oppidi illius dynasta, capitali supplicio affectus est. *v.* ANTON. MATTH. *de crim. l. 48. tit. 3. c. 7. n. 8.* (d)

(d) Aliud exemplum lepidissimum cuiusdam quinque habentis vxores, in omnium fere ore est, quod tamen ob argutiam iudicis et rei, hic ponere non intermitto. Quendam obscu-

Digitized by Google

rae conditionis hominem, & quinque vxorum maritum, Praetor ad vincula trahi iusserat. Cum ad Senaculum ventum esset, iudici interroganti, cur quinas in matrimonio haberet vxores? respondit reus: Putaui vnam ex illis fore probitate morum, prout decet conspicuam, sed spes me mirum quantum fefellit. Cui Praetor definitiue decernens: Quia in hac, inquit, vita nullam inuenisti probam, ergo te in alteram vitam mittam, forsan ibi inuenies aliquam votis tuis conuenientius respondentem. Quibus dictis, plectendum capite tradidit.

§. IV.

Negandum equidem non est, plurimarum Gentium consuetudinem Polygyniam adprobare, quibus olim et nunc, vnum virum plures ducere vxores, vsitatum fuit, referente PVFENDORF. *I. N. et G. L. VI. c. 1. t. 16. conf.* SELDEN. *Vx. Ebr. L. I. c. 8.* ADAMI *de Polygamia, in specie C. II. p. m. 24. seq.* et late WILLENBERG in *Select. Iuris Matrimon. C. III. Sect. 3. de Polygamia virili, p. m. 129. seq.* Durauit etiam hic Polygamiae vsus apud Ebraeos vsque ad tempora Imperatorum *Theodosii, Arcadii et Honorii*, qui Polygamiam in *l. 7. C. de Iudaeis et Coelic.* prohibuerunt, cum ista vicennio circiter ante adhuc licita fuisset. *v.* MEYER *Vxor Christ. dissert. 1. sect. 2. c. 4. §. 1.* Mich. SIRIC. *vna vxor ex iure naturae et diuino, moribus antiquis et constitutionibus Imperatorum et Regum, Giessae 1669.*

§. V.

Vtrum vero Polygamia pugnet cum iure Naturae, nec tangere, multo minus excutere in praesentiarum

lubet.

iubet. (e) Euolui interim de hac quaeſtione poteſt TITIVS diſſert. *de Polygamia, inceſtu et diuortio iure naturali probibitis. cap. 1. Lipſ. 1712.* Sufficiat igitur mihi dixiſſe, Iure Imperii Polygamiam nullo modo licitam eſſe, ſed per *Ord. Cr. art.* 121. digamiam eſſe delictum adulterio grauius, *ibi:* **So ein Ehemann ein ander Weib, oder ein Eheweib einen andern Mann, in Gestalt der H. Ehe, bey Leben des ersten Ehegesellen, nimmt, welche Ubelthat auch ein Ehebruch, und grösser denn dasselbe Laster ist &c.** *conf.* LVDOVIC. *ad d. art.*

(e) Habet vtraque opinio acerrimos ſui defenſores, quorum argumenta, ob prolixitatem hic omnino adduci nequeunt. Late pro polygamia etiam pugnat HOPPIVS *ad Inſtitut. titul. de nuptiis §. 6.* in vſu hodierno, vbi, variis adductis rationibus, tandem concludit: *Polygamiam inuita prima vxore Iure diuino illicitam* eſſe; hac vero conſentiente, licitam. Id quod probare annititur ex *Leuit. XVIII. v.* 18. De cuius diſtinctionis veritate atque probatione adhuc ſubdubito, donec meliora ſim edoctus.

§. VI.

IVRE ROMANO Polygamia determinatam corporis poenam non habet (f) *v. Nou. 117 c. 11. et Auth. Hodie C. de repud.* hinc etiam militi in Polonia viuenti dictata ſaltim eſt poena perpetuae relegationis, *in F. I. L. M. Ian. 1711.* referente MENCK. *in Theor. et Pr. Pand. p. 1552. §. 27.* IVRE IMPERII autem capitale ſupplicium obtinet, *d. a.* 121. ſiue vxor aliena, ſiue ſoluta ſit ſuperinducta (g) IVRE SAX. poena gladii decer-

decernitur, *v. P. IV. C. El. 20.* quae poena etiam ſtatuitur IVRE LVBECENSI, *v. Lib. IV. tit. 6. a. 1. ibique* MEV. IVRE MAGDEBVRGICO, *v. Ordin. Polit. Magdeb. c. 69. §. 17.* IVRE HAMBVRGENSI, *v. Stat. Hamburg. P. 4. c. 31.* IVRE CVLMENSI, *Lib. V. Tit. 8. c. 6.* IVRE PALATINO maſculo gladius, feminae *vel* gladius *vel* culeus: IVRE TYROLENSI vtrique culeus, vt et IVRE BAVARICO dictatur. *v.* KIRCHGESSNER. *in Trib. Nemeſ. p. 5. c. 9. §. 2. n. c. ſeq.*

(f) Iure Iuſtinianeo digamo, ſtupri, *l. 18 C. ad Leg. Iul. de adult.* digamae vero, gladii poenam, *a Nou. 117. c. 11. et c. Auth.* dictandam eſſe, cenſet *de* BERGER *Oecon. iur. edit. nou. p. 825. §. 6.*

(g) Non adeo expeditum eſt inter Doctores an vox: peinlich, in *cit. art.* de poena capitali praeciſe ſit accipienda. Dubium certe non minimum mouet proiectum de anno 1521. quod videre eſt penes KRESSIVM ad *d. art.* in quo fatetur Imperator, quod de iure ciuili poena capitis non ſtatuta, nec ipſe eandem ſtatuere voluerit. Videtur tamen vera ſententia quae capitalem dictitat poenam: Cum enim ſuo modo adulterium iure etiam ciuili, capite plectatur, *v. l. 30.* §. *1. C. ad leg. Iul. de adult. coerc. §. 4 Inſt. de publ. iud.* vti pron. F. I. L. *M. Ian. 1715. et reſpond. M. Mart. 1714. v.* MENCKEN. *in Theor. et Pr. Pand. p. m. 1542.* § *5.* polygamia autem iuxta *art. cit.* ſit delictum adulterio grauius, ex mente imperatoris punienda etiam eſt poena adulterii eminentiori et atrociori, quae *per auth. hodie C. de repud.* eſt vltimum ſupplicium. Ad *art. 104. Conſt. crim.* quem vt obſtantem adlegant, forſan in conflictu reſpondebimus.

§. VII.

§. VII.

Poena gladii autem de iure Saxonico *d. l. ʃ.* **Wir** ad eum etiam caſum extenditur, cum quis ſponſalia publica celebrauit cum alia, et cum ea concubuit, licet copula ſacerdotalis non acceſſerit; Extra Electoratum autem conſummatio requiritur in hoc delicto, *ſc.* benedictio ſacerdotalis et copula corporum, *per Ord. Cr. cit. art. 121. in verb.* **und vollbringet.** BEYER *ad d. a. poſ. 6.* LVDOVICI *ad. eund.*

§. VIII.

Non vero putandum quaſi poena, de qua in praecedentibus dixi, ſine vlla exceptione executioni mandari deberet, variis enim in caſibus ab illa receditur et mitior dictatur; Sic ceſſat gladii poena in eo, qui ſacerdotalem copulam quidem adhibuit, a copula carnali tamen abſtinuit. *Conſt. Cr. a. 121.* et *C. El. cit. ʃ. ſ.* quo caſu carcer, vel pro qualitate rei, temporalis relegatio iniungi poterit. *v.* MENCKEN *c. l.* Et quamuis in Pruſſia gladii poena dictetur, hoc tamen ibidem ad eum caſum, *quo maritus alterius duxit vxorem*, reſtringitur; Quod ſi vero coniugatus *ſolutam* ſuperinduxerit, ille fuſtigatur et relegatur, haec vero tantum perpetua relegatione coercetur. *v.* **Preuß. Land-R.** *L. VI. fol.* 145. §. 1. 3. 4. Quae tamen poena mitigatur, ſi interceſſio vxoris innocentis aduenerit, **Pr. Land-R.** *c. l. ʃ. 3.* vel perſona deſerta a coniuge ſuo alteri ſe iunxerit.

§. IX.

Patet ex dictis *ʃ. praeced.* quod in crimine bigamiae extra Electoratum Saxoniae interceſſioni coniu-

B gis

Digitized by Google

gis locus detur, id quod etiam late deducit et praeiudicio confirmat *de* WERNHER *P. I. Obseru. for. obs. 133. p. 187.* An vero etiam in Electoratu nostro coniugis innocentis intercessio aliquid operetur, paucis videndum? Plerique autem in ea sunt opinione, quasi *iure Saxon.* intercessio non deberet attendi, v. CARPZ. *Pr. Cr. P. II. qu. 66. n. 39.* ID. *P. IV. C. 20. def. 4.* et ad eund. ESBACH. BERL. *P. V. Concl. 28. n. 18.* MOLLER. *ad P. IV. C. 20. n. 4.* Quia vero argumenta, quae negantes adducunt, *partim* ex *P. IV. C. El. 20.* ibi: unnachläßig; *partim* ex *Const. Cr. art. 121.* desumpta, multis sufficientia non videntur, et iis, quae in specie a CARPZOVIO adductae sunt rationibus, ad quas tamen alii plerumque prouocant, diu satisfactum a BERGER. *in El. Iurispr. Cr. membr. IV. §. 2. p. m. 137. seq.* hinc *ICti Witteberg.* non dubitarunt simpliciter intercessioni coniugis, hoc casu, locum dare *etiam in Electoratu*, vti ab illis *M. Aug. 1709.* pronunciatum, eorumque sententia a *Regimine Dresdensi* deinde confirmata fuit. Sententiam cum rationibus dubitandi et decidendi *vide* apud *de* WERNHER *P. I. O. for. 189. p. 321. seq. conf.* BEYER. *ad O. Cr. a. 121. pos. 9.* KRESS. *ad c. art. p. 366. n. 3. seq. edit. nouiss.* B. GRIBNER, de intercessione coniugum *in Crim. bigamiae*, in Opusculis T. V. S. IV. *p. 71. seq.*

§. X.

Restat denique quaestio: *an defectus consensus parentum*, vel *tacita remissio ad mitigandam poenam aliquid operari possit*? Quoad primam quaestionem distincte pro-

Digitized by Google

procedendum. Fatendum nimirum liberos peccare, si consensum parentum ad matrimonium contrahendum non adhibeant; An vero propterea, si sine eorum consensu sit contractum, matrimonium sit nullum, et per consequentiam, mitigationem adferre possit in casu proposito, vix affirmare audeo. Consensus quippe parentum in contrahendis liberorum matrimoniis et iure Naturae et diuino recte, ob reuerentiam dulcissimis parentibus debitam, adhibetur, si vero omittatur, matrimonium nec nullum, nec irritum dici potest, vti multis ostendit THOMASIVS, dissert. *de validitate coniugii inuitis parentibus contracti, et per benedictionem sacerdotis depositi, consummati, §. 15. 16. et 17.* De iure quidem ciuili communiter praecise sub poena nullitatis parentum requirunt consensum, *per l. 2. de R. N. l. 7. §. 1. et l. 11. ff. de Sponsalibus.* Quoad ius canonicum autem dissentiunt inter se Dd. vti iterum fuse docet THOMAS. *c. l. §. 18. et 19.* ad quae loca L. B. breuitatis studio ablegare volo. Iure Saxonico consensus sub poena nullitatis desideratur, *Ord. Eccl. Sax. Tit. Gen.* von Ehe-Sachen, *Spec.* von Ehe-Gelöbnissen. *pr.* si tamen liberi inuitis parentibus contrahant matrimonium, et accedat copula carnalis, *in solidum*, vel si copulam sacerdotalem adhibent, *in* solidum *aut* pro dimidia parte legitimae exheredari a parentibus possunt, matrimonium autem non dissoluitur. Quia itaque matrimonium est validum, inferre etiam licebit, ob neglectum parentum consensum, poenam, in casu nostro, mitigandam non esse.

§. XI.

Vltimo quaeritur: Si prior vxor ſit mortua, et ab illa, propter crimen Bigamiae, quod ſciuit, contra maritum nulla inſtituta ſit querela, *an haec tacita remisſio bigamo prodeſſe queat?* Pro adfirmatiua quidem adduci poſſet, hanc actionem ad vindictam tendere, mortuus autem omnem vindictam remiſiſſe cenſetur, vti adparet exemplo actionis iniuriarum, quam haeredes iniuriati, ex dicta ratione inſtituere nequeunt, et conſequenter adeſſe tacitam remiſſionem. Verum enim vero quamuis haec vera ſint in actionibus ad priuatam vindictam tendentibus, vbi quilibet iuri pro ſe introducto, *vel* expreſſe *vel* tacite renunciare poteſt; aliud tamen videtur dicendum in delictis publicis, quale eſt bigamiae crimen; hic enim cum Respubl. grauiter laeſa, ſane etiam huic ſatisfaciendum, nec illi per remiſſionem priuatam et tacitam in puniendo praeiudicari poterit, praeprimis in caſu noſtro vbi nequidem expreſſa remiſſio, multo minus tacita debet attendi. His tamen et ſimilibus rationibus non obſtantibus *Dnn. Scabinis Lipſienſibus* placuit contraria ſententia, qui *Menſe Sept.* 1731. ſequentem in modum pronunciarunt:

Hat Gottfried Schütze, als er Articuls-weiſe vernommen worden, in Güte geſtanden und bekannt, daß er bey Lebzeiten ſeines zu Euderitzſch am 30ſten *Ianuarii Anno 1718.* ihm angetraueten Eheweibes Annen Barbaren, gebohrner Schuknechtin, mit welcher er Kinder gezeuget, nicht nur *anno 1724.* Annen Lipackin zu heyrathen ſich erkläret, und mit ihr zu Kirchhayn ſich verlobet, ſondern auch nach vorgehenden dreymaligen Aufgeboth am 30ſten *Ianuarii 1725.* zu Ruhla im Eiſenachi-

ſchen

Digitized by Google

schen mit Elisabeth Böttgerin, und am 2. *Decembr.* eben desselben Jahrs, zu Reinstedt im Anhältischen, unter den fälschlich angenommenen Nahmen, **Johann Gottfried Scheibens**, mit Marien Catharinen Zeisingin, sich öffentlich copuliren lassen, mit welcher letztern er gleichergestalt Kinder erzielet; Ob nun wohl, daß Inquisit wegen begangenen Lasters zwiefacher Ehe am Leben zu straffen sey, es sich ansehen lässet; worwieder ihm so schlechterdings der weder erwiesene noch wahrscheinlich gemachte Vorwand, als ob sein erstes EheWeib, die Schuknechtin, ihm treubrüchig worden, auch er der andern, der Böttgerinn, niemahls als Ehemann beygewohnet, nicht zustatten kommen möchte; Dieweil aber dennoch, ausser dem aus denen Acten hervor scheinenden und nicht gantz aus Augen zusetzenden Umstande, daß so wenig zu der ersten, als denen folgenden Ehen, Inquisitens damahls lebender Eltern Einwilligung gekommen, hauptsächlich dieses zu attendiren, daß *iuxta fol. 109. Vol. 1.* das erstere Eheweib, Anna Barbara Schuknechtin, am 21sten *May*, *anno 1728.* ohne vorhergegangene Ahndung der an ihr erwiesenen Untreue, mit Tode abgegangen, diesemnach tacita remissio vorhanden; So wird Gottfried Schütze, wegen derer von ihm begangenen Verbrechen, mit Staupenschlägen des Landes auf ewig billig verwiesen.

Quae sententia etiam *die 19. Octobr. 1731.* praestita prius Vrpheda, executioni mandata fuit.

TANTVM.

COROLLARIA.

I. Patriarchas fuiſſe Polygamos, nemo, niſi ſacrarum literarum plane expers, negabit. Rationem autem quam IAEGERVS *Obſeruat. ad Grot. p. 106.* et DANHAVERVS, *theol. conſc. P. II. Sect. II. A. 5.* aliique adducunt: *quod nimius patriarcharum ad maturandam Meſſiae natiuitatem zelus, rem alias per ſe illicitam fecerit quodammodo excuſatam*, minus adaequatam planeque iniquam cenſemus. Si enim, (*vti illi ſtatuunt*) polygamia eſt contra ius naturae, impium certe erit, crimine aliquo voluiſſe Meſſiae aduentum maturare. Nec concedendum quando alii cum IAEGERO *c. l.* diſpenſationem tacitam circa patriarcharum polygamiam, adeſſe, adſtruunt: Ipſe enim IAEGERVS, paſſim adfirmat diſpenſationem in lege naturae locum non habere; Si hoc verum, in polygamia, quae contra ius naturae ab eo eſſe dicitur, diſpenſatio nulla ſtatuenda eſt. *v.* TREVER *ad Puffend. de O. H. et C. lib. II. c. 2. §. 5. n. 1. p. m. 409. ſeq. conf.* CARPZ. *Qu. 66. n. 5.*

II. Quae in articulo *121. conſt. crim.* habentur, quod crimen bigamiae grauius ſit crimine adulterii, ea ſine dubio ex principiis religionis Romanae originem trahunt, iuxta quae matrimonium inter ſacramenta refertur. Per crimen bigamiae autem illud ſacramentum maxime profanatur. Praeterea Dd. *cur grauius delictum dicitur*, ſequentes adducunt cauſas: 1) quia Eccleſia et Publicum eluditur. 2) adulterium continet, et eſt ſpecies duplicati vinculi con-

li coniugalis. 3) impie per impetrationem hierologiae, pro ſtatu laudabili venditatur 4) moribus noſtris, praeter adulterium, concurrit deſertio malitioſa: *conf. Dn.* KRESS *ad cit. art. n. 4. p. m. 366.*

III. WESENBECIVS *in Paratit. ad II. tit. ad Leg. Iul. de adult. n. 8.* in ea eſt opinione, quaſi bigamus dicendus non eſſet, qui ſolutam ſuperinduxit. Cum vero *art. 121. conſt. crim.* generaliter loquatur: So ein Ehemann **ein ander Weib**, oder ein Eheweib **einen andern Mann** 2c. voces: **Weib**, **Mann**, non tantum de coniugatis, ſed etiam de ſolutis aeque accipiendæ erunt. Qua propter WESENBEC. a BACHOV. *c. l.* merito notatur. Conſentit *de* BERGER *in El. Iurispr. crim. p. 140.* Et HAHN. ad WESENB. *l. l.* bigamum, qui ſolutam ſuperinduxit, capitaliter puniendum eſſe, recte obſeruat.

IV. Sunt qui adhuc hodie Iudaeis in Imperio viuentibus, polygamiam permiſſam eſſe, contendunt; quae opinio tamen vera non videtur, cum Iudaei non ſecundum leges Moſaicas, ſed iura Romana et Eccleſiaſtica, contrahere matrimonium debeant, *v.* HAHNII Διάταγμα Iudaeorum *th. 12.*

V. Per verba in definitione matrimonii: *viri et mulieris coniunctio*, non excluditur polygamia, licet haec interpretatio communiter inualuerit; Polygamiae enim vox non plures vxores, ſed plures inuoluit nuptias. Hinc tot etiam erunt matrimonia, quot

vxores

Digitized by Google

vxores sibi iunxit maritus, proinde, vti quodque eiusdem mariti matrimonium est vnius viri et mulieris coniunctio, ita et cuique definitio ista conueniet. *v.* COCCEIVS *de matrimonio momentario Sect. 1. §. 2.*

VI. Bigamus non aliter poenam mortis incurrit, nisi secundam vxorem, *sponte* atque *vltro* nulla ratione aut necessitate commotus duxerit. Hinc a poena capitali liberandus, qui olim sponsalia publica cum aliqua celebrauit, deinde aliam duxit denique etiam priorem sponsam superinducit. v. *late de* BERGER. *P. II. suppl. ad El. Pr. Cr. obseruat. 153. p. m. 411. seqq.* et in *Oecon. iur. edit. nouiss. p. 826.*

VII. Qualis praescriptio in crimine bigamiae obtineat, adeo expeditum non est inter Doctores. In quinquennali plerique acquiescunt, vti etiam pronunciauit *Fac. Iur. Lips. Mens. Nou. 1719.* referente B. LVDERO MENCKENIO in peculiari hac de quaestione, programmate *Fer. Pasch. 1722.* emisso. Dissentit SCHILT. *ad π Exercit. XLV. §. 56.* et in addendis, post *§. 68.* qui viginti annos requirit.

) o (

Digitized by Google

Nuper en! viderat grauis Dearum,
Qua nil candidius, benigniusque,
Sed nil iuſtius eſt, politiusque,
Iam diu latitans adhuc ſub vmbris,
Occupata magis domeſticorum
Magnis litibus, atque ponderoſis,
Perquam ſollicito dolore preſſa,
Et pene lacrimis per ora fuſis,
Vagantes temere, petulciores,
Atque cauſſidicos proteruiores,
Quos coram pauet vrna, lanx, tribunal,
Qui ſpirant Zephyros, Fauoniosque,
Qui torquent elementa literarum,
Qui curant propriam modo crumenam,
Qui nil diſcere quam pecunioſas
Conſueſcunt ſtupidi, bonas nec artes
Ipſa Pallade teſte ſacroſancta,
Vel primis tetigere cum labellis,
Quantumuis gradibus ſcientiarum
In ſummis blaterent regnare ſeſe:
Quos VOLCKMANNIVS en! notariorum
Deus marmoreusque faſcinauit,
Quibus praeſidiumque SCHNEIDEWINVS,
FINCKELTHVSIVS, HOPPIVSque praebent,
Qui cunctas recitant et Actiones
In longa ſerie ſed Alphabeti:
Pignoratitiasque, Sportularum
Et condictitias, calumniasque,
Dira Stellionatus et piacla,
Qui mungunt miſere clientulorum,
Et nil praeterea, modo crumenas,
Quos poſtquam viderat grauis Dearum,
Vt ex peſtiferis fibrae cicutis
Vſſerunt, gemuitque, poſuitque
Foro iuridicum ſibi tribunal,
Luſtrauitque ſuos. Venitque primum
Formator tenerae vagax iuuentae,
Ingens legicrepa, et ſuos libellos,

Digitized by Google

Quaſuis compoſitas et actiones
Monſtrat ecce! ſuas clamore multo,
Accedens alius grauis ſacerdos,
Ingens ſignifer et latrunculorum,
Qui turget tumidis vt aqua bullis,
Hic proſtibula cuncta narrat ore
Defenſor capitalis, et recenſet
Quot ſub auſpiciis, ſuisque regnis
Virgis vulnificis, atrocibusque.
Per forum, plateas, et vrbis eſſent
Portas, ſanguineo dolore caeſa.
Iam iam tertius en! feroce vultu
Se conuicia, ſe calumniarum
Quaeuis pondera, dicit, a cliente
Extricaſſe ſuo, patronus ingens.
Nunc vidiſſe ſat eſt Deae, nec ipſa
Haec ingentia plauſtra ineptiarum
Plus perferre poteſt, diemque moeret
Effluxiſſe ſibi minutiarum:
~~Sic primo grauiter, dein ſecundo~~
Toto te poteram, ſcias, carere,
Tertioque ſuo bono aduocato
Toto te poteram, ſcias, carere,
Nunc pronuntiat en! ſeuera vultu.
At tu macte bonis et eruditis!
SIEGELI, referas et GOTHOFREDVM,
BVDAEVM referas, CVIACIVMque,
Teque Aſtraea potens vt aduocato
Quin reſpublica gaudeatque tanto.
Necque praemia defutura credas
Profecto fore ſic tibi perampla:
Nam ſemper nimium comes fidelis,
Eſt ingens honor eruditionis.
His votis, ſuperi! precor, fauete!

adplaudit
ABRAHAM GOTTHELF KAESTNER,
A. M. et I. V. C.
Opponens.

Digitized by Google

Eſt aliquid, Themidi nocte inuigilaſſe dieque,
Plus tamen, ingenii prodere ſigna ſui.
Quid iuuat, immenſos animi ſubiiſſe labores,
Omnia ſi ſpiſſa nocte ſepulta iacent.
Hinc TVA, dum ſcandis cathedram, laudanda voluntas,
Quisque ſimul ſtudium laudat, AMICE, Tuum.
Panditur hic hodie merito Tibi ianua laudis
I decus hinc patriae, quo vocat alma Themis.
Hoc iter ad ſolidae doctrinae praemia rectum,
Haec, TIBI promeritas, ſemita, monſtrat opes.
Auguror, ingenii Te docta brabea manere.
Vtque breui eueniant haec TIBI, corde precor.

Haec gratulabundus adiecit
Andreas Sigismundus Kunadus.
Ioanni-Georgio-Politanus.
Opponens.

Dein Ruhm, Gelehrter Freund, darff fremder Schmincke nicht,
Indem sein eigner Glantz durch Nacht und Schatten bricht,
Gesetzt, ich rühmte viel den Eyffer, das Bemühen,
Die Sorgfalt, die Dein Geist den Künsten dargeliehen,
Und hierzu führte mir selbst Phöbus Hand und Kiel;
Der Wahrheit thät ich Recht, der Sittsamkeit zu viel.
Gnug, daß der heutge Tag die Sieges Palmen träget,
Und Deinen Werth durch Dich der Welt vor Augen leget.
Doch zürne nicht, es fällt mir hier ein Zweiffel bey:
Du sprichst, und zwar mit Grund, daß dieses straffbar sey,
Wofern ein Mann sein Hertz verschiednen Weibern giebet,
Nun dencke, hast Du nicht Sophien stets geliebet?
Eusebie rufft Pleiß und Lein als Zeugen an,
Daß Du sie längst geküßt und mit ihr schön gethan,
Und ietzo sehn wir Dich, der Themis an der Seite.
Hier fehlt ein Oedipus. der dieses Rätzel deute.
Mir aber gönne nur, daß die ergebne Pflicht,
Mit wenigen erzählt, was Wunsch und Hoffnung spricht:
Der Werthen Eltern Lust, nebst Deinem Glück und Ehren
Wird sich von Zeit zu Zeit, so wie Dein Werth vermehren.

Mit diesen geringschätzigen Zeilen empfiehlet sich des WohlEdlen Herrn Respondenten fernern Wohlgewogenheit dessen aufrichtig ergebenster Freund und Diener

Ludewig Wilhelm Wildenhayn
Theol. cult.


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google